

rum Activitas et Jurisdictio, quam hactenus sibi concreditam habuit et illi habuerunt, immediate cesset. 2. Ut omnium illorum, quae tam ab hactenus pro Confinarijs jam excisso et per modernam Commissionem adhuc excidendo, quam etiam residuo, Jurisdictioni Banali mox incorporando Terreno, ejusdemque locis sive titulo Contributionis, sive vero aliorum onerum publicorum annue quorsum in paratis, vel naturalibus Incolae praestare debuerunt, accuratam et genuinam Connotationem et Specificationem Commissioni huic exhibeat, ut inde sciri valeat, quantum pro futuro per Excisionem et Erectionem Confiniorum erga praestanda in futurum a Militibus Confinarijs Militaria servitia, ab hactenus praestito quanto Contributionali decedet, et quantum vicissim ab Incorporatis Locis et Territorijs remanebit adhuc annue exigendum. Et ut 3. Eadem Deputatio Provincialis exactionem et incassationem remanentium Contributionum et aliorum onerum publicorum hujus adhuc Anni Militaris, usque ultimum quippe futuri Mensis Octobris, adeoque etiam post interventam jam Incorporationem, cum Assistentia etiam Officialium Comitatus, solerter continuet, et hoc ipsum etiam respectu Terreni et Locorum pro completo Confiniariorum Numero quidem excisorum, sed Confinarijs ex eo, quod actu nondum adsint, necdum traditorum, adeoque interea juxta priorem benignam Dispositionem nostram sub diebus uti praemisum est 30. Octobris 1743 et 5. Augusti 1744 emanatam, prae manibus Dominorum Terrestrium, sub cautella ibidem declarata, adhuc reliquendorum, eadem Deputatio valeat. In Casu autem, 4. Quo eadem Contributiones et alia onera publica usque futuram Primam Novembris ex toto exigi et incassari nequirent, eadem Deputatio restantias illorum in praesentia Officialium Comitatus et Contribuentium Incolarum liquidare, et quae exigibiles adhuc sunt, illarum incassationem Officialibus Comitatus relinquere teneatur, per ipsos dein fideliter incassandas, et eo quo pertinent administrandas. Quae omnia cum saepefatae Provinciali Deputationi (uti praemisum est) jam commissa sint, ideo ut in effectum quoque debite deducantur, Curam habebunt dicti Commissarii.

Et cum porro jam benigne resolverimus, ut Supremus Comes et Ejusdem Officij Administratores, alijque Officiales Comitatus in Comitibus, Curae, respective et moderationi ipsorum concreditae, constanter refideant et Officia Sua ibidem fideliter administrent; Hinc Commissarii praeprimis quidem in Syrmensi, dein vero in alijs etiam constituent, commoda quaequam loca seligent et Provisorie etiam constituent; in quibus antelati Supremus Comes et Administratores, alijque Officiales Comitatus, qui propria ibidem Bona non habent, residere, Congregationes et Sedes Judicarias tenere, Archivum conservari, Cassam et Carceres Comitatus sub bona custodia servari possint ac debeant; Prouti denique id ipsum in alijs quoque bene regulatis Hungariae et Croatiae Comitibus fieri consuevit. Salaria porro antelati Magistratus Comitatus Sequentia habebunt: Et quidem unus Supremus Comes, vel Officij illius Administrator, Annue mille florenos, Vice-Comes quingentos florenos, singuli Comitatus Notarii Trecentos florenos, Generales Cassae Praeceptores Trecentos florenos, Judices Nobilium ducentos florenos, Jurati Assessores Centum florenos, Procuratores Fiscales Centum quinquaginta florenos; Praeterea in singulis Comitibus etiam tot, quot necessarij fore videbuntur, Equites et Haidones, pro exactione quanti Contributionalis, Persecutione item et extirpatione Praedonum et aliorum malefactorum, cum superioribus et subalternis Officialibus suis prouti et Lictore suscipiuntur, competentia Salaria